



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

LXXVI. Inuocatio Sanctorum quatenus illicita, licitaque sit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

nimus. Damasc. l. 4. de fide c. 16. *Honorare decet Sanctos, ut Amicos Christi, ut filios Dei & heredes.*

IV. Atque inde factum, ut Dulia Sanctorum templis, aris, festis, votis, imaginibus, peregrinationibus omnia orbis Christiani loca completerit: Non sic Civilis & humana Observantia coluit Paps, Imperatores, Reges, &c. Non.

Rectè id quidè. Quia si civilis honor civili deberetur virtuti, ut sapientiæ, potètiæ, nobilitati: sanè altiore debetur gratiæ supernaturali Sanctorum necesse est; qui, *ut mundi corde Deum* intuentur, æternamque sapientiam contemplantur, non in ænigmate; sed sicut ipsi cogniti sunt. Qui Dei potètiæ participes facti. Vnde Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo.* Itemque nobilitatis diuinæ consortes; Vnde de ijs, Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.*

#### QVÆSTIO LXXVI.

*Inuocatio Sanctorum quatenus illicita, licitaque sit?*

LUTHERANI perinde ut CALVINIANI tria, iam olim condemnata sæpius, renouant. 1. Mortuos pro viujs orare non constat à Scriptura. 2. Orare forsan vniuersim pro Ecclesia; non singulatim pro quocquam. 3. Inuocari Inutiliter, & Illicite. Vide in *Genealog. q. 21.*

SVADENT istis. 1. Inuocatio Sanctorum cedit in iniuriam Dei; qui solus vult inuocari. *Matth. 4.* 2. In iniuriam Christi, qui solus Mediator est ad Deum, 1. *Tim. 2. Eph. 2.* 3. Quia est inutilis, cum nec preces audiant, nec nostra cognoscant. 4. Est signum diffidentiae in Deū tam audire paratū, ut, *Hebr. 4. Cum fiducia ad eum accedamus.* 5. Christus nos docuit inuocare Patrem. 6.

Nullum extat Scripturæ exemplum aut mādatum de inuocandis sanctis. 7. Primitiua Ecclesia non vsurpauit eam inuocationem.

AUTOR. Liquida distinctio litèra dirimit; vbi obcæcatix abest perui-cacia.

I. NEFAS est petere gratiam & gloriam à Sanctis, tanquam autoribus: Ergo solum ut ab Amicis Dei Intercessoribus. Ita Scriptura, Vfus Ecclesiæ, S. Patres, & Ratio.

II. NEFAS sentire est, Sanctos immediatos ad Deum Mediatos esse; cū per Christum duntaxat petita impetrèt. Ita Scripturæ, Patres, Vfus Ecclesiæ apud Bell. l. 1. de Sanctis c. 16. 17.

III. Sancti orant pro nobis in genere, vniuersim. Ioan. 15. *Dixit Dominus: Si steterit Moyses & Samuel corā me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo poterant orare, etsi mortui. Dein Iudas, 2. *Machab. ult.* vidit Oniam & Ieremiam, dudum mortuos, multum orare pro populo.

CALVINVS negat eum librum esse Canonicum.

AT Concil. Carthag. III. eum pro canonico agnouit: Et illud CALVINVS contra Inuocationem Sanctorum allegat. Cætera vide in *Antichristo part. 1. quest. 22.*

IV. Sancti orant pro nobis etiam singulis; Quia Angeli pro singulis orāt, fatagunt, præ sunt *Tob. 12. Zach. 1. Dan. 10. Psal. 90. Matth. 18. Apoc. 8.* Ergo & Sancti. Nam erimus similes Angelis. *Apocal. 2. Qui vicerit, dabo ei potestatem super gentes.* Exempla apparationum id docent apud Bellarminum, *libr. 1. de Sanctis cap. 18.*

Q V. An.

V. Angeli & sancti piè, vtiliterque inuocantur.

1. Sic Scriptura, Gen. 48. Job. 5. Exod. 32. &c. Vide in *Antichristo*, p. 1. *quæst.* 22. Quia Sancti in Veteri Testamento non recipiebantur in coelos; (id quod iam denique Calvinistæ nobiscum dicere cœpant, vt Rainoldus lib. 1. de Rom. Idololatria c. 7.) ideo non solitum erat sic inuocari eos: *S. Abraham orapro. &c.* sed per merita ipsorum orabatur Deus. Vt Psal. 131. *Memento Domine David. &c. Propter David seruum tuum. &c.*

2. Deinde in vtroque Testamento viuentes à viuentibus legimus inuocatos: Vt 1. Reg. 7. *Ne cesses clamare ad Dominum pro nobis.* Eph. 6. &c. Sunt autem mortui Sancti æquè ac viui in eadem charitate nobiscum coniuncti, teste ipso Caluino: qui idcirco ad illud respondere nequiuit.

3. Ita per antiqua Concilia, S. Patres Græci & Latini: Ecclesiæ constans Vfus: Attestantibus signis ac miraculis innumeris.

Dicit Brentius c. 27. Confess. Wittenb. Patres in Concionibus suis sese ad Sanctos per prolopopæiam conuertisse.

Logi! Quid ergo ij, qui ex professo docent Sanctorum inuocationem?

CALVINVS *Instit.* l. 3. c. 10. absurdus fingit; Patres voluisse prohibere eam; sed impetum vulgi & consuetudinis perfringere nequiuisse.

O desperatos! Dicere audent, quod docere desperant; ne nihil dicant.

DICO AD I. At ita nec Sancti viuentes forent inuocandi: contra Thes. *Orate pro nobis. Iac. Orate pro inuicem.*

AD II. Idem sequetur falsum. Dein; Sancti sunt mediatores secundarij: Et nos pro nobis ipsi oramus citra

Christi iniuriam; ergo & Sancti hoc amplius possunt; idque ad honorem Christi.

AD III. At fecus omnes S. Patres. Nam Angeli cognoscunt res nostras: Tob. 12. *Ego obtuli orationem tuam.* Luc. 15. *Gaudium erit coram Angelis super uno peccatore pen. agente.* Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* 1. Cor. 11. *Mulier velamen habeat propter Angelos.* Ergo & Sancti cognoscunt. Apoc. 5. XXXIV. *Seniores habentis phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Item Sanctis in hac vita datur cognoscere occulta hominum: Vt 1. Reg. 9. Samuel noscebat interna Saulis: Elifæus fil. Giezi, 4. Reg. 5. Regis Syria, 4. Reg. 4. Daniel Nabuchodonosoris. Petrus Ananiam, Act. 2. &c. Item intuentur Deum inque eo creaturas omnes. Abraham & Israël nescierunt suos; quia non verè intuebantur Deum in limbo.

AD IV. Paratus est audire Deus nos; & tamen misit ad lobum eius criminatores, vt pro eis oraret: Abimelech: gi dixit, Genes. 20. *Abraham orabit pro te.* Stephanus, Act. 7. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

AD V. At licet nihilominus inuocare & Christum, & Sp. Sanctum, & Angelos; ergo & Sanctos.

AD VI. Mandato nil opus, vbi necessitas vrget. Dein; multa laudabiliter seruantur, quæ mandata non sunt; vt Consilia Evangelica: communicare ieiunos: Exorcismus infantum: sic. *Ierem. 35. Rechabita abstinerunt à viuo.*

AD VII. Variant Sectarij; Melanch. in *Apolog. Confess.* ait, non eius meminisse Patres ante Gregorium; *Kenn. ad Sess. 22.*

coepisse tempore Augustini, autore Pet. Gnaphæo anno 480. At eum docuerunt Augustinus, Orig. Nectarius, Ephrem, Gr. Nazian: Basil. Nissenus, Ambr. Hier. apud Becanum in *Manuali* l. 1. c. 7. g. 6.

QVÆSTIO LXXVII.

*Nam qua alia Quætores carpant in Sanctorum Inuocatione?*

**L**VTHERVVS par. 2. in art. 2. Schmalcaldico. *Angeli in celo pro nobis orant; sicut ipse quoque Christus facit, & Sancti in terris; & Fortassis etiam in caelis.* Ita & Melancthon in Apolog. Confess. Aug. ad art. 21. Nec enim omnium humanarum eis debetur memoria; cum patet in Epulone, fratrum memore, *Luc. 16.* ut mouiti fuerint cauitores.

**CALVINVS** Instit. 3. c. 20. §. 23. Angelos salutis nostre præfectos, cæteris frequentare sacros ait: Sed hoc peculiare illis; ad alios Sanctos qui transferunt ordinem Dei confundunt & peruertunt. *Ibid. §. 24. Quis eo usque longæ eius aures esse reuelauit, quæ ad voces nostras porrigantur? Oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent? &c. Non potest igitur, quo Pontificiorum preceulas cognoscant Sancti, explicari MODVS. Non igitur cognoscunt: Igitur nec orandi sunt.*

**AUTOR.** Duo hic controuertuntur: An cognoscant res, precesque nostras Sancti, & Quomodo?

**I.** Sancti cognoscunt preces nostras. *Apoc. 9.* Seniores enim *x x i v.* offerre eas sunt visi. Sciunt, qui ex humanis excedant; quomodo diuidentur pij. **2.** Qui piè obeunt, *Luc. 10. equalis Angelis sunt:* at hi cognoscunt nostra. *Tob. 3. Luc. 15. Apoc. 8.* **3.** Gubernant gentes cum Christo, *Apoc. 2. Matth. 24.* Ergo res earum cognoscunt. **4.** Faciunt præstantque petita nostra; vt exempla docent. **5.** Calvinus in epist. pag. 10. ad Farellum scripsit: *Coraldus stat coram*

*Domini tribunali testis & accusator eorum nequitia.*

**II. MODVM.** quo cognoscant. *S. Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 11. lo nescire fatetur; at factum credere. Explicari tamen potest; & varius. 1. Sua celerimâ præsentia; 2. Piorum, aut Angelorum nuncio: 3. Dei reuelatione immediata: 4. Vel Meditata: 5. Dei uisione. Greg. Dial. 4. c. 33. Quid ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? D. Th. 1. q. 2. a. 2. 8. Quid non videant, qui uidentem omnia uident? &c.*

Ad que conuictus Calvinus in 1. Cor. 11. ait *Quid opus tam subtiliter philosophari?*

**1.** Et uerò ipse fatetur, quo Dominus in Cœna insit Modo, explicari non posse.

**2.** Et Calvinista dant, uisum in caelis Christum S. Stephano; Modum tamen se nescire.

**3.** Ecce quàm clarè Beza in 1. Ioan. 2. *Sunt,* ait *Cœlites solliciti de laborantium fratrum salute, suo nobis incomperito Modo.*

**II. LVTHERVANI,** vt Kemnitius, Hedbrunnus, &c. & plerique, singularia Sanctorum patrocinia petulantè uident, & exagitant.

Ex **CALVINIANIS** ille Anglus Rainoldus l. 1. de Rom. Idololatria, Chamiernus, &c. Calvinus Instit. l. 3. c. 20. §. 21. *Postquam ceptum fuerat in Sanctorum intercessionem respicere, sensim sua cuique procuratio est attributa; ut pro negotij diuersitate nunc hic, nunc ille aduocaretur intercessor.*

**AUTOR.** Rident, subfannant, plaustra uerborum fundunt ij; quibus bona rei, causæque iustæ nihil suppedit, desertis ab omni ueritate, & rationis vel probabilitate. Sed istud Sycophanticum est.

Rectè, inquam, ac piè huic illiue bono procurando, vel auertendo malo